









SICILIMENTA JUSTINIANEA

A D L.

1692, 3

303

HT

20

V I N U M

ff. de Reb. Credit.

*De affirmave  
ratione temporis  
et loci facien  
da.*

SUB PRÆSIDIO

VIRI Nobilissimi, Consultissimi, Excellentissimi  
atque Clarissimi,

DN. ALEXANDRI ARNOLDI  
PAGENSTECHEI,  
JC. & Antecessoris Ordin.

*Publica disputationi a. d. 23. Julii, horis locoque  
solitis submitienda*

per

JOHANNEM PETRUM von ACHEN,  
DINSLACO - CLIVENSEM. A. & R.



DUISBURGI ad RHENUM,

Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typogr.  
Anno M. DC. XCII.



*Generosissimo, Pralustri atque Excellentissimo*  
D O M I N O,

DN. E B E R H A R D O  
Baroni de DANCKELMAN,

Domino de Bresques &c. Serenissimo atque Potentissimo  
Electori Brandenburgico à Consiliis Status,  
Bellicis atque Feudalibus &c.

U T E T

*Perillustri Magnifico atque Excellentissimo*  
D O M I N O,

DN. DANIELI LÜDOLFFO  
de DANCKELMAN,

Alte Præfati Potentissimi Octoviri Majestati à Consiliis  
Status & Commissario Generali &c.

N E C N O N

*VIRO Pranobilissimo Amplissimo & maxime Strenuo,*

DN. ANTHONIO de BUIS,

Legioni Pedestri Brandenburgicæ Præfecto &  
Chiliarcho fortissimo:

Dominis, Mœcenatibus atque Patronis,  
& respectivè Avunculo meis,

*Trepidante sed tamen devotissima manu has studiorum  
meorum primitias cum calido omnigenæ  
prosperitatis voto offero*

JOH. PETR. von ACHEN,  
A & R.





IN NOMINE DOMINI NOSTRI  
JESU CHRISTI!

E X E R C I T A T I O  
De incunda justo tempore locoque  
per Judicem æstimatione rerum.

ad

*L. Vinum 22. ff. de Reb. Cred.*



Aggredimur tractatum lubricum & perplexum, sed & talem de quo quotidie in foro quæstio est, adeo ut nullus hodie Judex vel Patronus sit, qui hic non hæreat maneatque suspensus. Certe ita judicat & testatur Cujac. *tr. 8. ad African. in explic. l. hominem. 37. ff. mandar.* aliique post eum complures præstantissimi Jcti. Cum itaque hæc materia in foro quotidiana, praxi utilissima, atque necessaria scitu sit, non inconueniens fore ratus sum, si in usus exercitii Academici disputatorii eam mihi seligerem: Merito quippe Petronius in *Satyric.* illos ridet, qui inani tumore & vanissimo strepitu id tantum proficiunt ut cum in forum venerint putent se in alium terrarum orbem delatos esse. Sed misso præloquio, rei ipsi nos accingamus. Verba textus in *d. l. Vinum 22. ff. de reb. cred.* sunt hæc: *Vinum, quod mutuum datum erat, per judicem petitum est; quesitum est, cujus temporis æstimatio fieret; utrum, cum datum esset, an cum lis contestata fuisset, an cum res judicaretur? Sabinus respondit, si dictum esset, quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset: si non, quanti tunc cum petitum esset. Interrogatus cujus loci pretium sequi oporteat? respondi, si convenisset, ut certo loco redderetur quanti eo loco esset: si non, quanti, ubi esset petitum.*

A 2

§. I. Loqui-



§. I.

**L**oquitur Textus de Vino, quod mutuum antea datum, postea per judicem repetitum est: cumque debitor in æstimationem Vini condemnandus esset, dubitatione exorta, cujus temporis locive æstimatione consideranda sit? deciditur, debere tempus locive considerari quibus petitum istud Vinum fuit, nisi aliud tempus aliisque locus à contrahentibus præfuitus fuerit.

II.

Ergo (nisi aliud sit dictum) tempus inspici debet, quo ipsum Vinum petitum fuit. *ut expresse lex nostra 22. vult.*

III.

Sed quid hoc est dicere: *Tempus quo petitum fuit?* Missis aliorum explicationibus, ego dico, per illa verba innui *tempus contractus.* Tempore enim contractus revera serioque *petimus* mutuum. Ut adeo, *petere mutuum* hic idem sit, quod alibi *desiderare mutuum* l. 4. ff. de reb. cred. & *rogare mutuum* l. 32. eod. &c.

IV.

Et hæc explicatio patet 1. ex indole verbi: *petere.* 2. Ex collatione illorum: *desiderare.* & *rogare* &c. de quibus modo dixi. 3. Ex præcedentibus in lege nostra 22. verbis illis: *Utrum cum datum esset, an cum lis contestata esset, an cum judicaretur.* Ad quæ verba cum per responsionis modum se habeant illa: *cum petitum esset.* sequitur, debere se referre ad unum istorum trium temporum. Non pertinent autem ad tempus *cum judicaretur*: nam mutuum profecto antea petitum fuit, quocumque etiam *petere* modo sumas. Sed nec ad *litem contestatam* videntur commode referri posse, cum in illa petitionis non tantum pondus sit, utpote cui alter negationem aut contradictionem suam excipiendo opponit. Et quamvis tempore contractus mutui, sola petitio mutuum non faciat, sed insuper ab altera parte requiratur datio, competit tamen tempus petendi melius tempori contractus quam quidem ulli ex superioribus alii, utpote cum tempore contractus sive dationis, dans petitioni alterius plene annuat ejusque desiderio maxime satisfaciat. Ut adeo supersit, tempus contractus sive dationis per verba illa (*cum petitum esset*) hic innui. Quod idem 4. fortius suadetur, si illa verba: *petitum esset.* jungas cum illis textus: *convenis-*



convenisset. dictum esset. Sane enim omnis illa conventio cum tempore contractus inita, & quod dictum, tempore contractus dictum sit, apparet ex serie tali textus, & petitionem illam tempore contractus factam, consequenter & æstimationem ad idem tempus referendam esse. Quod 5. confirmatur per analogiam juris: Enimvero cum in mutuo res reddi debeat ejusdem bonitatis: *pr. I. quib. mod. re contr. obligat.* adeo ut creditor inde nullum damnum debeat habere: *arg. l. debitorem. 99. ff. de solut. junct. rubr. ff. quod quisq. jur. in al. sequitur* sane, tempus contractus in mutuo debere inspicere. Quod & 6. confirmat textus expressus in *l. 3. ff. de reb. cred. ibi: qua datum sit.* Quem textum etsi Nonnemo ad pecuniam restringere malit, refutatur tamen aperte per *τὸ quid. & τὸ veluti vinum.* quæ verba unicuique in *d. l. 3.* in oculos incurrunt. Sed & 7. idem aliis juris textibus satis aperte comprobatur: quam in rem nota est *l. 7. ff. de aur. & arg. leg. nec non l. 69. ff. contr. emt. item l. 3. §. 3. ibi: tempore quo venit. ff. de act. emt. nec non l. 28. in fin. ff. de novation. & l. 22. ff. de O. & A. nec omittenda est l. 59. ff. de Verb. Obl. ibi: tunc enim ab eo peti potest.* quæ sane ratio vult ut in pura obligatione itidem in æstimatione ineunda tempus inspiciamus quo ex illa peti potest, id autem non est aliud quam contractus tempus. *§. 2. ibi: confestim. I. de V. O. add. l. 60. ff. eod. ibi: nam ejus temporis fit æstimatio cum peti potest.* etsi autem dictæ leges *59. & 60. ff. de V. O.* de obligationibus puris non loquantur, particulæ illæ tamen ratiocinantes (*enim: nam:*) ibidem additæ, etiam in puris obligationibus jus earundem legum exigunt. *arg. l. 32. ff. ad L. Aquil. l. 6. §. 1. ff. V. S.* Accedat 8. argumentum ex *l. 8. pr. ff. mandat. l. 12. ff. ad SC. Macedon.* unicujusque rei principium, utpote potissimum, inspiciendum esse. Adde sis (9.) quæ infra proponimus §. horum Sicilimentorum vigesimo.

V.

Regulam ex his struo talem in ineunda rerum æstimatione inspiciendum est tempus contractus, ut res æstimetur eo pretio quo tempore contractus valuit. Hanc regulam amplio: 1. ut non tantum habent locum in Vino sed & in alia re mutuata quæ æstimationem recipit. 2. Non tantum in mutuo, sed & in alio sive bonæ fidei sive stricti juris contractu. *per allegg. §. præc.*

A 3

VI. Econ-



VI.

Econtra limito regulam *Primo*, Nisi solutioni certus dies præfixus sit, ita ut tum æstimatio rei perpendenda sit qualis tum erat cum dies ille veniret. *per d. l. 22. ff. reb. cred. ibi: si dictum esset quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset.* Cujus juris ratio plana est. Contrahentes enim, diem adjiciendo, solutionem ipsius rei, consequenter & æstimationis ejus (si præstanda veniat) differunt. Quæ ratio respectu fane creditoris dubio caret, utpote qui ante existentiam diei adjecti nec agere nec petere quicquam cum effectu potest §. 2. *I. de V. O.* utpote cum dies etsi cesserit nondum tamen venerit *l. 213. de V. S.* Quantum ad debitorem autem, etsi ille ante diem venientem solvere potuerit, dum tamen id non facit sed solutionem in diem adjectum sponte differt, tacite juri suo renuntiat, ipsoque facto suo in diem præfixum venturum consentit, maxime cum vel invito alias creditori solvete potuerit. Adde *sis l. II. ff. de re jud. l. 12. §. 1. si quis caution. l. f. ff. cond. trit.*

VII.

*Secundo* limito regulam §. 5. propositam (sed & §. 6. statim dicta): Nisi scilicet mora commissa sit: ita ut si debitor in mora constituatur, æstimatio autem rei postea creverit aut imminuta fuerit, id ejus omne damno sit: quemadmodum contra creditoris, si ille moram commiserit: Est quippe tritissima juris Regula: *Moram unicuique suam debere nocivam minime vero proficuum esse.* *l. 173. §. 2. ff. de R. 7. l. 37. ff. mandat. c. 25. de R. 7. in 6.* Ut adeo vel tempus contractus vel moræ inspici debeat in damnum moratoris, prout vel hoc vel illo tempore pluris vel minoris fuit. *text. l. 3. §. 3. ff. de act. emt. l. 8. §. 1. ff. cond. furt. vend. mand. c. 25. eod. in 6to.* & ita intelligerere etiam licuerit tò potius quod est in *l. 37. ff.*

VIII.

Quod tamen non ita abscisse accipiendum est, quasi præcise & quasi in puncto moræ terminus accipiendus aut inspiciendus sit, sed ἐν πλάτει (ut Ulpianus in *l. 3. ff. de cond. tritic. loquitur*) sive latius, ita ut quicquid à tempore moræ usque ad tempus sententiæ (quod est terminus ad quem, *vid. tamen §. 26. infr.* ceu tempus contractus regulariter terminus à quo. *l. 3. §. 3. ibi: vel quo venit vel quo lis in condemnationem. ff. de action. emti.*) damni adferre queat mora vel lucri, illud omne



omne patiatur qui moram commisit, hoc omne percipiat cui mora facta est: idque sine ulla distinctione inter actiones bonæ fidei aut stricti juris. l. 3. ff. de condict. triticar. l. 21. §. 3. de act. empr. l. 12. §. 1. si quis caution. l. 173. §. 2. ff. R. 7. c. 25. de R. 7. in 6. l. 8. §. 1. ff. de cond. furt. add. arg. l. 86. ff. ff. de R. 7. ibi: Non solet conditio deterior fieri eorum qui litem contestati sunt &c. Nisi quod hæc aliter se habeant, quando æstimatio mediante juramento in litem fieri debet veramque excedere potest: ubi tum ex l. 3. §. 2. ff. commod. distinguendum est in bonæ fidei & stricti juris judicia: ita ut in his tempus litis contestatæ inspiciendum sit, in illis autem tempus condemnationis. Quod iterum tamen intelligendum est ἐν πλείτοις, ita ut hoc tempus litis contestatæ vel condemnationis non sit nisi terminus ad quem: quod si ante ea enim tempora quis moram admiserit, tum iterum locum faciemus allegatæ regulæ ex l. 173. §. 2. ff. de R. 7. l. 37. ff. mand. & c. 25. de R. 7. in 6. idque iterum absque distinctione inter bonæ fidei & stricti juris judicia, observato saltem diverso illo quem diximus termino ad quem. l. 8. §. pen. ff. de cond. furtiv. l. 9. ff. de in litem jur. l. 3. ff. de condict. tritic. l. 21. §. 3. ff. de act. empr. l. 12. §. 1. si quis caut. add. text. gener. in d. l. 173. d. l. 37. & d. c. 25. Quin & si mora forte ante interpellationem judicialem nec à debitore nec à creditore admissa fuerit, aut etiamsi mora facta ab hoc illove fuerit, intersit autem hujus vel illius tempus contractus potius inspicere, & hoc inspicimus, dictisque temporibus litis contestatæ atque condemnationis, quin & moræ (qualis & per interpellationem judicialem facta est) præferemus: Mora enim moratori non debet esse proficua sed damnosa & nociva. d. l. 173. d. l. 37. & d. c. 25. Quænam autem sit differentiarum ratio, quæ hoc casu (quando scilicet æstimatio per juramentum in litem peragitur) inter bonæ fidei strictique juris judicia intercedit, non adeo difficile est assequi. Enimvero cum juramentum in litem verum rei pretium non semper respiciat nec ex veritate rem æstimet, adeoque rei pretium hoc juramento determinatum ipsi rei non insit, nec eadem contineatur, sed extrinsecus eidem ex affectione jurantis superveniat, sequitur judicem in stricti juris judiciis, utpote formulæ alligatam strictamque potestatem habentem, ea quæ extrinsecus rei in judicium deductæ accedunt considerare aut de iis judicare sententiamve



tiamve ferre non posse: *l. 23. ff. de judic.* in bonæ fidei actionibus autem, quia ibi non habet strictum jus sive parvam adstrictamque formulæ potestatem, sed bonam fidem id est liberam potestatem §. 30. *l. de action.* consequitur sponte, illum in bonæ fidei judiciis ad formulam alligatum non esse, sed ad sententiam usque bonæ suæ fidei ex bono & æquo indulgere posse. Ubi autem verum rei pretium & non per juramentum in litem attenditur, ibi præfatum discrimen inter bonæ fidei strictique juris judicia considerari nequit, ex ratione, quia vera rei æstimatione rei perpetuo inest *l. 88. ff. de V. S.* adeoque una cum re in iudicium deducitur, ut adeo etiam de ea utpote in iudicium deducta in stricti juris actionibus judicare possit. *l. 23. ff. de judic.* Tu dices, huic ratiocinationi nostræ vehementer obstare, quod aliquando res ipsa cujus æstimatione præstanda est in rerum amplius natura non existet qua ergo ratione quove juris colore asseri queat rei, quæ non sit, æstimationem ipsam cum re in iudicium deduci? At ego respondeo, ut alibi dolus possessionem rei fingit. *l. 131. ff. R. 7.* ita moram, ut effectus suos assequi possit, hoc scilicet respectu, fingere rem ipsam adhuc existere: quod non obscure textus Juris innuunt: veluti cum *in l. 91. §. 3. ff. V. O.* obligatio per moram dicitur *perpetuari.* ante moram debitor obligatur ad rem ipsam præstandam: at hæc obligatio, post moram, re extincta, *perpetuatur. d. l. 91. §. 3.* adde sis *legem 44. ff. de operis libertor.* ubi debitor in eadem obligatione dicitur *retineri.*

IX.

Quæ modo dicebamus tempus sententiæ, aut etiam quando mediante juramento in litem æstimatione petitur respective tempus litis contestatæ aut condemnationis ceu terminum ad quem, à tempore moræ ceu termino à quo computandum, inspiciendum esse, eâ limitanda sunt, nisi species debita antea casu perierit. Ita ut tum terminus ad quem sit tempus existentis casus. *d. l. 3. ff. de cond. trit.* Cujus exceptionis ratio est, tum quod non-entis nulla proporro sit æstimatione, tum quod casum nemo præstet. *per vulgat.* Et quamvis hæc rationes, tum & tritum illud: *Res perit suo domino:* inducere quem valeant ut æstimationem nulla ratione hic præstari debere inferre possit: priora tamen officium suum propter intercedentem moram perdunt, posterius



posterius vero ( si maxime debitorem hic dominum supponas ) limitatur, si idem dominus speciei debitor sit l. 23. ff. V. O.

X.

Atque hæc quidem de tempore in æstimatione rerum per judicem ( neque enim privatorum libertati pactorum heic quicquam derogatur ) facienda attendendo possent sufficere, nisi varia aliorum varie hoc in puncto sentientium & dissentientium ingenia innumeras, ut ipsis saltem visæ sunt, difficultates objecissent, remque non adeo difficilem, difficillimam per innumeras suas rationes dubitandi ac ferme desperatam reddidissent, adeo ut & senarium illum legum alias damnatarum, quas alii *Cruces Jurisconsultorum* cognominant, numerum ( quem hoc disticho veteres expresserunt: *Damnatur Mater* l. 19. ff. de inoff. testam. *Damnatur Lectaque* l. 40. ff. de Reb. Cred. *Frater* l. 38. ff. de condict. indeb. *Damnatur Gallus* l. 29. ff. de lib. & post. *Damnatur Filius* l. 28. ff. eod. *Ejus* l. 41. ff. de reb. credit. ) hoc ipso nostro in l. *Vinum*. 22. ff. de reb. cred. optimo textu augendum putaverint, ut *cruciariarum* legum indoli *septenarium* numerum ceu fato quodam debitum destinatumque esse arbitratos fuisse existimes.

XI.

Principio vero miror opponi hic *legem pen. ff. de instr.* ubi fundus instructus legatus dicitur debere præstari qualis sit tempore eo quo legatum cedit, non quo testamentum factum est: Unde deducunt, tempus contractus, quod nos supra asseruimus, inspicere non debere. Parcæ jam responsionibus aliis & aliorum & meis: dico saltim imprensens, verba legati in casu dictæ legis *pen. de inst.* tempus præfigere, ibi: *secundum verba legati*. Unde patet, legato in casu dictæ legis certum tempus adscriptum fuisse. Quod convenit cum iis quæ supra §. 6. proposuimus.

XII.

Gravius autem obstare videtur, quod in ipsissima hac *lege nostra* 22. ff. de reb. cred. illa verba: *petitum esset*: ad superiora illa textus verba: *per judicem petitum est*: ( quæ opponuntur ibi illis: *datum erat*: ) respicere ex iisque lucem capere debere videantur: ut eo admisso non *tempus primæ petitionis* qua sc. debitor à creditore suo mutuam primitèr petit, ( ut nos supra volumus ) sed *tempus repetitionis judicialis*

B

in



in facienda æstimatione, inspiciendum esse videatur. Quinimo tempus *litis contestate* per dicta textus nostri vocabula intelligendum venire, ex collatione verborum: *cum lis contestata fuisset*: non improbabilius colligi posse, existimes. At enimvero, quemadmodum alibi vocem *petere* pro *judicialiter* sive per *judicem petere* in juris nostri textibus accipiendam esse lubens meritoque agnosco, §. 29. *infr.* ita tamen eandem naturali sua indole non esse idem quod *repetere* quilibet videt, talique naturali acceptione, qua idem sit quod *rogare* vel *desiderare*, in hoc nostro textu *legis Vinum* eam interpretandam esse, supra §. 4. proposita exigunt. Dixi: *in hoc nostro textu*. Nihil enim novum in Jure nostro est, unam eandemque vocem in speciali quodam textu (interim & eodem sensu alibi sumi, *infra* §. 23. videbimus) specialiter accipi, alibi iterum sæpiusque aliter. Quam in rem ne exempla ab aliis producta inque vulgus nota proferam, considerari velim famigeratissimum textum in *l. 34. §. 4. ff. de jurejur.* ubi dicitur jusjurandum de calumnia nec patrono nec parentibus *remitti*. ubi *remitti* pro *referri* accipi posse, nuper admodum vidi, ut sensus *d. l. 34. §. 4.* sit hic: Quando patronus liberto suo vel pater filio juramentum *judiciale* *litis decisorium* *defert*, tum non licet liberto vel filio juramentum calumniæ (ceu alias jura permittunt) patrono patrive *referre* sive *remittere*. Parentes enim patronique de calumnia non jurant *l. 8. §. 5. ff. qui satisd. cog. l. 7. §. 3. ff. de obseq. par.* Et si igitur alibi *remittere juramentum* idem sit, quod *gratiam ejus facere*: in dicto tamen textu idem esse quod *referre*, patet tum ex *l. 16. ff. eod.* tum dictæ *l. 8. §. 5. qui satisd. cog. l. 7. §. 3. obseq. par.* tum & verborum: *defert: prior:* in ipsissima illa lege *34. §. 4. de jurej.* apparentium, ingenua collatione: ut nihil in posterum necesse habeat quis dictum in *l. 34. §. 4.* textum in posterum corrigere id est corrumpere. *Conf. l. un. C. si quis imp. maledix.* ibi: *remitt. refer.* adde sis similem observationem verborum: *quanti res sit: infra* §. 14. & aliorum: *judicii accipiendi: infra* §. 20. Præterea (ut ad legem nostram *Vinum* revertamur) cum in verbis illis: *petitum esset*: non repetantur illa in prima legis parte *apparentia: per judicem:* satis apparet, verbum hoc: *petitum*: nude positum non innuere petitionem *per judicem* (utpote cum textus in sequentibus perpetuo hoc omittat) sed respicere id ad illud bis præcedens:

dens:



dens: *datum. datum.* Quibus (*petitum. datum*) inter se collatis, manifeste tempus contractus exprimitur. Sed nec tempus litis contestatae admittit vel vocis *petendi* ingenium, vel præcedens illud, *per judicem*: si illud ad sequentia referendum esset. Hæc quippe duo tempora: 1. *litis contestata*: & 2. *quo per judicem petitur*: sunt distinctissima: cum litis contestatio non in iudicio apud judicem, sed (ut verosimilius videtur) in Jure apud Prætores facta fuerit: quod etsi nonnulli negent per locum ex Festo omnibus notum: *Contestari litem dicuntur duo aut plures adversarii, quod utraque pars ordinato iudicio dicere solet, Testes estote.* Ille tamen idem locus vel unicus contrarium ostendat, per verba, *ordinato iudicio*: Prætor enim *ordinabat iudicium*, dum judicem pedaneum daret.

XIII.

Nec minus assertioni nostræ: *Tempus contractus inspiciendum esse*: adversari creditur l. 3. in fine. ff. de *condict. tritic.* cum similibus Juris nostri capitibus quæ *tempus moræ* inspiciendum esse, apertissime definiunt. At ego intrepide respondeo, moræ tempus non inspicere regulariter, sed illo demum casu quo illud inspicere, moratori nocere potest. Vide text. expr. in l. 173. §. 2. *ibi. nocet.* ff. de R. §. l. 37. in f. *ibi. neutri frustratio prodesse debet.* ff. *mandati. c. 25. ibi. nociva.* de R. §. in 6. Sume casum: Vini cados tibi hodie mutuos do decem, qui in præsentiarum 300. imperialibus æstimantur. Post annos tres, cum valerent decem illi non nisi 200, repeto vinum mutuatum: Nectis moras. Si jam posses satisfacere obligationi præstando 200, sane mora tua non esset tibi *nociva* sed *proficua*: utpote lucraturo 100. Ergo *tempus moræ inspici*, non est regula, sed regulæ alterius limitatio, sive exceptio. Adde sis quæ representavi §. 7. & 8. supra. Dices: imputare sibi debere creditorem quod citius non egerit. Respond. Obligationem puram (qualis casu posito) actioni & exactioni *confestim* locum facere §. 2. I. de V. O. id tamen, præsertim in casu mutui pure dati, accipiendum iusto cum temperamento: l. 105. ff. de *solut.* Quod si jam creditor id temperamentum laxius indulserit, non debet id officii ipsi damnosum esse l. 61. §. 5. ff. de *furt.*

XIV.

Sequitur l. 3. §. 2. ff. *commod.* per quam alii in diversa iverunt. Verba

B 2

textus



textus sunt hæc: *In hac actione sicut in cæteris bonæ fidei judiciis similiter in litem jurabitur, & rei judicandæ tempus quanti res sit observatur: quamvis in stricti, litis contestatæ tempus spectetur.* Veluti notus hic locus est, ita & nota est responsio ad illum communis, distinctionem dicti textus in l. 3. §. 2. ff. commod. non habere locum nisi in speciali illo casu de quo d. l. tractatur, scilicet quando æstimationem *jurando in litem* obtinemus. Verbo: Exceptionem, ajunt, esse in dicta lege 3. §. 2. ff. comm. Cujus exceptionis rationem repræsentavi *supra* §. 8. Est tamen adhuc his diebus Vir Amplissimus, qui in dicto textu considerari jubet verba illa: *quanti res sit.* quæ veram rei æstimationem innuant. Quo præmissis, si post *to jurabitur*, punctum colloces, & cum illis: *Et rei judicandæ &c.* novum paragraphum aut versiculum inchoes, (hoc modo: *In hac actione sicut in cæteris bonæ fidei judiciis similiter in litem jurabitur. Et rei judicandæ tempus quanti res sit observatur, quamvis in stricti, litis contestatæ tempus spectetur.*) consequetur in illo textu duos distinctos proponi juris articulos: unum, quo asseritur, in bonæ fidei judiciis in litem jurari: alterum, quo deciditur quæstio, quid juris sit, quando æstimatio non per *juramentum in litem* taxatur, sed *quanti res est* æstimatur, adeoque quo vera rei æstimatio extra jusjurandum in litem attenditur, adeo ut hoc casu distinguendum sit inter bonæ fidei strictique juris judicia, ita ut in his tempus litis contestatæ, in illis rei judicandæ in æstimando quanti res sit attendi debeat; cujus tum doctrinæ ita dividendis ratio unicuique obvia foret ex distinctissima indole bonæ fidei strictique juris judiciorum, de qua noti in cæteris textus sunt in §. 30. *in pr. I. de actionib. & l. 7. ff. de negot. gest.* Sane, ut nil dissimulem, sunt hæc talia quæ alicui superioribus nostris principiis non imbutis possent extorquere: Verum enim vero ubi quis considerat (α.) ingenium moræ *unicuique* (adeoque & actori qui litem in stricti juris judicio contestatus est) *nocivum*, ut jam retro monuimus: tum & (β.) in æqui judicii trutina expendit rationem, quæ discrimen inter veram rei æstimationem & eam quæ juramento in litem fit, hoc in puncto inducit, *supra* §. 8. *vers. Quenam autem sit.* repræsentatam: is judicem rem ex veritate citra juramentum in litem æstimaturum tempore litis contestatæ tanquam termino ad quem ne quidem in stricti juris judiciis inclusum



inclusum esse, nobiscum asseret. His adde (γ.) particulam ET in dicto textu occurrentem naturaliter copulatricem esse, ut adeo contextus dicti textus suadeat, unam duntaxat ibidem proponi quaestionem, cujus scilicet temporis ratio habenda sit quando jurejurando in litem quanti res sit aestimatur? Quod (δ.) firmatur ex eo, quod alias si duo dicti textus membra agnosceres, prius membrum mutilum mancumque foret, utpote quod de bonae fidei judiciis solis affirmaret, in illis in litem jurari: quo ad stricti vero, rem relinqueret indecisam, cum tamen & in his quid juris sit pernecessarium scitu sit. Nec movere nos valde debent illa: *quanti res sit*: quae in d. text. apparent: Etsi enim ultro fatear, iisdem verbis aestimationem alteri quae per jusjurandum in litem fit contradistingui: *vid. l. 8. ff. de in lit. jur. l. 179. ff. V. S.* non credo tamen memorata illa verba (*quanti res sit*) in hoc textu nostro *l. 3. §. 2. ff. commod.* ita accipi posse aut debere, per ea quae modo proposui. Sane, si verba illa: *quanti res sit*: uno illo saltim modo in Jure acciperentur, haberet praefata praefatae legis *3. §. 2.* explicatio plus ponderis, sed cum eadem varias diversissimasque interpretationes in Jure habeat, *de quibus Doctores ad d. l. 179. ff. de V. S.*, nil impedit, quominus ex analogia Juris concludamus in dicto textu *l. 3. §. 2. comm.* iisdem significari, *quanti res ex affectione jurantis est.* nam & in juramento in litem (intelligo in specie sic dicto, quod *Affectionis* alias audit) ipsam quoque rem aestimari, quis neget? *l. 1. ff. de in lit. jur.* Aestimatur, inquam, & illo res: etsi & illud quod ultra verum ejus pretium est. Tum & hoc bene perpendi velim, in *d. l. §. 2.* respici ad officium judicis (ibi: *judicanda: & : observatur*) quid scil. ille observare in judicando debeat, scil. ut ille judicaturus dispicere necesse habeat quanti res omnis in judicium deducta sit, id est, ut non condemnet reum in omnem statim summam quam jurejurando actor complexus est, sed ut omnes probe ponderet circumstantias quanti secundum eas res sit, an in minorem etiam quam juratum est summam reum condemnare possit: secundum praescriptum in *l. 4. §. 3. ff. de in lit. jur.* ut adeo hic locus alteri illi lucem foeneret certissimam.

XV.

Tu dicis, in litem jurari non posse in stricti juris judiciis *l. 6. ff. de in lit. jur.* consequenter i. concidere rationem dubitandi §. praeced.,

B 3

contra



contra bimembrem legis 3. §. 2. ff. comm. dissectionem, à nobis propositam, quasi sc. tum prius dicti textus membrum mutilum mancumque foret: Sed & 2. vanam esse restrictionem dicti textus ad iurandum in litem utpote quod in stricti juris actionibus locum inveniatur nullum. Respondeo 1. indicandum tamen fuisse, iurijurando (si id ita juris deposceret religio) in stricti juris judiciis locum non esse: 2. Falsum esse, in stricti juris judiciis in litem non jurari: nec id vult dicta lex 6. ff. de in lit. jur. asserit tantum, id non solere fieri. Scilicet regula est: *In stricti juris judiciis in litem non jurari.* Quæ interdum officium suum perdit: l. 5. ff. eod. ibi: *interdum.* veluti cum mora intercessit. d. l. 5. ff. de in lib. jur. Utriusque rationes in superioribus sunt.

XVI.

Sed annon vel propterea decisio superior nostra vel etiam Jcti in d. l. 3. §. 2. ff. commod. imperfecta est, quod *arbitrariarum* actionum nullam faciat mentionem? Profecto ita dicendum, si cum DD. vulg. arbitrarias actiones con-species actionum bonæ fidei & stricti juris, adeoque divisionem actionum de qua §. 28. I. de action. trimembrem facias, ita ut actiones sint vel bonæ fidei vel stricti juris vel arbitrariæ. Verum ego mihi istud nunquam persuadere potui. quinimo semper ita sensi, absolutam divisionem esse hanc: *Actiones vel sunt bonæ fidei vel stricti juris.* Quod autem quædam sint *Actiones Arbitrariæ* quædam *Non-Arbitrariæ*, hanc credo esse novam divisionem & à superiore illa distinctam & distinguendam. Sane ita mecum sentiunt hujus superiorumque sæculorum celeberrimi Jcti quorum sententiam vel solus hic textus in l. 3. §. 2. ff. comm. firmat. Quid vetat addere textum statim visum ex l. 5. ff. in litem jur. ubi actio in rem, quæ arbitraria alias est, stricti juris postea esse innuitur d. l. 5. pr. junct. §. 4. ff. de in lit. jur.? nihil enim impedit, unam eandemque actionem simul stricti juris & arbitrariam esse, quemadmodum nihil impedit eandem simul, in rem, civilem, non-præjudicialem, in simplum, reique persecutoriam esse, quemadmodum hæc septem simul in e. g. rei vindicatione concurrunt. Nec parum pro retinenda dichotomica sive bimembri hac actionum divisione in bonæ fidei & stricti juris actiones face-re videtur, quod judicia non triplicia fuerint sed duplicia tantum, *arbitria*



*arbitria* scil. & *judicia*: veluti *Judices* vel *arbitri* vel *judices*: quorum illa & illi ad *bona fidei*; hæc & hi ad *stricti juris actiones* respiciunt. §. I. *I. de action. Cicer. in pro Rosc.*

XVII.

Adhuc inquis, laudatos tamen supra aliosque, tempus sententiæ vel litis contestatæ aut quo agitur petitumve est &c. inspicere debere, jubentes juris nostri textus, tempora illa exigere præcise sæpe & nulla addita restrictione nec cum interpretatione illa supra proposita, consideranda esse ceu terminum ad quem vel & respectivo à quo. At ego respondeo, dicta cæteraque tempora illa omnia, cum mora facta est, debere omnia & singula inspicere, in damnum scil. moratoris: adeoque omnes illos textus intelligendos esse cum hac conditione, si id moratori damnosum sit: *per l. 3. §. 3. ff. de act. emt. l. 37. in f. ff. mand. l. 173. §. 2. ff. de R. 7. &c.* Unde non ineptum est, quod Vir Clarissimus monet, *in l. 3. §. 2. ff. commod. (eadem ratio est in textibus consimilibus aliis. vid. l. 28. ff. de novat. l. 37. ff. mandat. l. penult. ff. de condict. tritic.)* subintelligendum esse *etiam: rei judicata*, id est, *etiam rei judicata*. Quod firmatur per collationem textuum in *l. 9. §. 8. quod met. l. 3. §. 3. vers. item non oportet. ff. de act. emt. ubi subintellige: non tantum: sed etiam. ut in l. 17. ff. de legib. aliud ellipseos genus est in l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. l. 5. de S. U. P. l. 2. crim. stell. l. 1. pr. §. 1. ff. pign. act. l. 2. §. 2. aq. quot. l. 1. §. f. rer. permut. &c.*

XVIII.

Gravissime autem supra propositis obstare videtur sæpe allegata *l. 37. ff. mandat.* ubi in mandato tempus solutionis, in stipulatione vero tempus quo agitur considerari debere, dicitur. At ego respondeo dictam legem secundum exceptionem nostram primam §. 6. exhibitam intelligi debere, quin & de ea loqui. ibi: *sua die*. Et quidem prius dicti textus membrum continet speciem qua dies tacite obligationi appositus est, cum quis scilicet alteri mandat ut pro ipso velit fidejungere, quo sane mandato se fidejussori suo non obstringit pure sed in illum tacite diem si quid pro debitore ipso principali solverit: adeoque tempus solutionis hoc casu est idem quod tempus diei, tacite scilicet in casu hujus Legis nostræ, adjecti: Quo casu tum magis *observatur* atque *potius est* (ut ait textus) sive magis usuvenit atque frequentius accidit



accidit ut tempus solutionis fidejussor attendere velit, quam petitionis: ratio, quia debitor principalis tum statim in mora est, utpote qui tantus morator fuit ut creditor ipsum necesse habuerit convenire fidejussorem. Die autem (quod posterius legis hujus membrum est) expresse adjecto, *potius est magisque observatur* ut tempus quo agitur spectemus: ratio, quia tempus lapsæ diei non perpetuo aliquem in mora constituit, potest enim & debitor ipso illo die paratus esse ad solutionem, sed si debitor tamdiu moras necit usque dum conveniatur, sane tunc semper morator est, consequenter tunc id semper spectari potest: quod si tamen & ante hoc tempus moram admiserit, forte post eundem diem quoque adjectum, tum & hoc tempus moræ tempus inspiciendum est, ut textus ipse lucide definiit. Summa horum redit ad ea quæ supra §. 6. & 7. diximus, diem adjectum spectari, nisi mora subsecuta aliud deponat.

XIX.

Sed annon ei quod modo & supra quoque diximus, die adjecto, hunc in æstimatione facienda inspiciendum esse, *lex 22. ff. de G. & A.* (cujus hæc verba sunt: *Cum quis in diem mercem stipulatus, fidejussorem accepit, ejus temporis æstimatio spectanda quo satis acceperit.*) obstat aut adversatur? Plane non. Ut enim aliorum responsiones omitam, dico, hoc in loco debitorem principalem in diem, fidejussorem autem pure obligatum esse. dicitur enim pure: *fidejussorem accepit.* quo casu non mirum tempus quo satis acceptum id est ipsius fidejussionis sive contractus inspicere. *vid. supr. §. 4.* Quid subrides? Lector. Putas hanc responsionem fundamentis Juris non convenire? Percipio. fidejussorem non existimas pure obligari posse cum principalis debitor in diem obligatus est, cum tum durius obligaretur fidejussor quam ipse principalis debitor. *per §. 5. I. de fidejuss. junct. §. 33. I. de action. junct. l. 8. §. 7. l. 16. §. 1. l. 70. ff. de fidejuss.* At ego contra assero, fidejussorem ita obligari posse, scilicet hætenus ut obligatio illa fidejussoris pura resolvatur in obligationem in diem. Scilicet, qui pure promittit, ille nullum diem à solutione peragenda eximit, consequenter & in diem à debitore adjectum consentit. *per l. 113. ff. de R. J.* Pari modo, quo fidejubens in centum, cum debitor principalis tantum debeat quinquaginta, obligatur tamen quoad quinquaginta: quia illis



illis centum quæ promittit insunt & quinquaginta. *per d. l. 113.* Sane absurdum dictu est, obligatum ad rem *concurrentem* obligari in *durius*. Nunquam mihi placuerunt manus violentæ ad *l. 8. §. 7. ff. de fidejussor.* corrumpentes inibi ista: *omnino non.* Quinimo textus ille nil aliud vult quam fidejussorem acceptum in *duriores causam*, omnino non obligari in *duriores causam*. Ast concurrens summa non est durior, sed par. Igitur in *d. l. 22. ff. de O. & A.* quoad fidejussorem respiciemus *etiam* tempus contractus: quo ad debitorem autem principalem terminus à quo erit diei adjecti existentia.

XX.

Ex superioribus non una responsio promanat ad *l. ult. ff. de cond. tritic.* ibi: *cum iudicium acciperetur.* vel enim dicere possum 1. illa verba accipi posse de tempore litis contestatæ. vel 2. de tempore contractus, vel 3. de tempore sententiæ ferendæ. Primo modo si accipias: arg. verb: *peteretur.* in *d. l. occurrentis:* tum vel  $\alpha$ . hunc textum accipiam *sec. l. 3. §. 2. ff. comm.* de casu quo in litem juratur in stricti juris actione veluti mutuo. *vid. §. 14. supra.* vel  $\beta$ . dicam, *etiam* illud tempus *potiusque* observari, quia tum certissima mora inducitur. *vid. §. 17. & 18. supra.* Sed & Secundo illo modo pro tempore contractus eadem verba interpretari possunt: arg. & *peteretur. juncto §. 12. supra.* & hæc explicatio optime concordat cum juris fundamentis quæ supra §. 4. repræsentavimus: quæ tum per hunc iterum locum fulciuntur. Igitur verba illa: *cum iudicium acciperetur.* intellige: *ex natura obligationis nata.* (quod fit tempore contractus.) Sane hæc explicatio nostra confirmatur textu lucido in *l. 2. §. 3. ff. de privat. delict.* ubi æstimatio in condictione furtiva dicitur non debere egredi retrorsum iudicii accipiendi tempus: quæ verba respiciunt ad *L. Aquiliæ* actionem quæ retrorsum ut scil. anno vel mense proximis res valuit plurimi æstimationem facit, non præcise ex illo die quo damnum factum est: ast in condictione furtiva æstimatio fit secundum tempus quo furtum factum, sive tempus natæ primitèr obligationis, quod ibi *tempus iudicii accipiendi* vocatur. Sane cum vel hic locus in *d. l. 2. §. 3. ff. de priv. del.* indicet, (nec enim vel Lexicographos, sive Calvinum J.C., vel alios etiam, quindecim pluresve hujus vocabuli acceptiones referentes, adducam) vocem: *iudicium:* non uno modo in textibus juris



ris accipi, cogitari posset annon in ante objecta *l. ult. ff. de condit. trit.* verbis: *cum iudicium acciperetur*: tempus *sententia* indicatum fuerit? Certe *iudicium* pro *sententia*, Latine dici, nullus dubito. Petronius ita in *Satyric.* Ergo *iudicium* non est nisi publica merces. Atque Eques in causa qui sedet, emta probat. ubi Commentator: Id, ut alia huius Scriptoris, mutuavit Cyprianus epist. ad Donat. *Judex? Sed sententiam vendit: qui sedet, crimina vindicaturus, admittit.* Ex quorum collatione *sententia* & *iudicium* erunt synonyma. Phædrus etiam in fabulis alicubi: *Decerne quod religio, quod patitur fides, Et gratulari me fac iudicio tuo.* Ubi Schefferus: *Fac me gaudere, & gratulari mihi ipsi ob tam favorabilem tuam in causa mea sententiam.* Unde & *iudicare* aliquem exulem: pro *sententia* exilium in aliquem decernere, apud Cornel. Nepot. in *Hannib.* c. 7. & *res iudicata* quæ finem controversiarum pronuntiatione *iudicis* accepit. *l. i. ff. de re iudic.* Quam tertiam dictæ legis *ult. ff. de cond. trit.* explicationem si admittimus, optime hisce concordabunt quæ supra de considerando tempore *sententiæ* latæ representata sunt.

XXI.

Est adhuc Vir magni nominis, qui *sententiæ* nostræ supra visæ obstare putat *l. videamus. 38. §. sanctionem. 7. ff. de usur.* ubi fructus antelitem contestatam percepti, etsi mora intervenerit, in actione ex stipulatu (quæ stricti juris est) cum rem non suam quis petit, non præstantur. Jam si fructus, inquit, non præstantur, quanto minus vini æstimatio ex mora præstanda erit? Fructus enim ex re ipsa: pretium rei, ex re non est. At tamen, dixerim ego, ratio differentię manifestissima est. Æstimatio ipsi rei inest, ut supra commonui: at fructus sunt accessiones. Mirum autem esse non debet, quod *iudicis* in stricti juris actionibus potestas strictior curtiorque sit quoad accessiones, quam quoad ipsam rem principalem aut quod illius loco est ejusque vice fungitur. Tu dicis: atqui accessorium sequitur naturam principalis. Sed hæc regula sæpe officium suum perdit: *vid. Nov. 115. c. 3. & 4. &c.*

XXII.

Ast novum crimen, Patres conscripti. In Lege nostra *Vinum* vinum petitum est: qua fronte *Judex* hic rationem æstimationis habere potest?



test? Potestne libellato (loquamur & nos ita) Vno Judex in æstima-  
tionem sententiarum? Atqui sententia debet conformis esse libello:  
adeo ut fatuus sit judex qui aliter judicat, quam petendum est. Tu dic:  
hoc verum esse sed maxime tamen ratione objecti & causæ petendi,  
non per omnia. Actor petit, reum absolvi: an Judex isti petitioni  
semper necesse habet obsecundare. Minime §. f. I. de perper. & temp.  
Sed cui non dictus Hylas puer & Latonia Delos?

XXIII.

Accedamus ad posterius Legis nostræ membrum, discepturi, quis  
locus in æstimatione facienda in considerationem venire debeat. Res  
omnis fere ex superioribus consequitur. Regula est: Locum contra-  
ctus debere inspicere. per §. 4. supra. Notandum autem est locum con-  
tractus ibi esse ubi solvenda est pecunia l. 3. ff. que in fraud. cred. Er-  
go quoad species inspiciemus locum ubi sine dolo debitoris existunt  
l. 38. ff. de judic. Sed quid de quantitativibus? ibi dari debent ubi petun-  
tur, ait d. l. 38. ff. de judic. quod ego intelligo, ubi contractus vel quasi  
initus. Certe in d. l. 38. rō petere non innuere tempus quo debi-  
tor per interpellationem judicialem extrajudicialemve in mora collo-  
catur, patet ex subjecta ibidem limitatione: nisi adjectus fuerit locus.  
An ergo adjecto loco, mora debitori non nocebit? id esset contra in-  
dolem moræ supra visam. Ut adeo, evitandæ absurditatis ergo, ne-  
cessum sit, dicta verba legis 38. ff. de judic. explicare de contractus lo-  
co, ubi scilicet heres adeundo cum legatario quasi contraxit, sec. §. 5. I.  
de obl. ex quasi contr. Eodem modo rō petere sumi debet in lege no-  
stra Vinum. in fin. ibi: ubi esset petendum. & in l. f. ff. de condict. tritic.  
in fin. ibi: is locus spectetur quo peteretur.

XXIV.

Hanc regulam limito: 1. nisi alius locus pacto convento adjectus  
sit. d. l. Vinum. ff. de reb. cred. & d. l. 38. ff. de judic. & c. 2. Nisi mo-  
ram alter contrahentium admiserit: tum enim locus inspicietur qui  
illi magis nocivus: vid. l. 3. §. 3. ff. de act. emt. juncto §. 17. versic.  
Unde non ineptum. supra.

XXV.

Adhuc Legi nostræ Vinum, etiam §. nostro 22. supra, obstare vide-  
tur, quod Vinum & Æstimatio distincta sint objecta. Aliud pro alio  
solvi



solvi non posse: l. 2. §. 1. ff. de reb. credit. cum solutio sit naturalis præstatio ejus quod debetur. pr. l. quib. mod. toll. obl. In mutuo debere idem genus solvi. per vulgat. At tibi in præsentiarum liberum arbitrium relinquo, Lector candide, an cum Veteribus quibusdam Doctoribus statuere velis, æstimationem indistincte loco rei debitæ præstari posse, quæ sententia non parum præsidii in hac nostra lege Vinum, tum & in l. 88. ff. de V. S. reperit: an autem cum communi Doctorum Schola æstimationem non quidem semper, indistincte, aut regulariter, sed certis tamen quibusdam casibus & peti & adjudicari posse statuere malis: nempe si vel 1. debitor ex contumacia rem restituere nolit: vel 2. si moram commiserit & creditor præstatione ipsius rei contentus esse nolit, quin & 3. si res perierit adeoque præstari ipsa nequeat. Quod ultimum etiam in mutuo usu venire potest: etsi enim genus non pereat in totum, perit tamen sæpe ratione unius alteriusve loci, quo talis res hoc illove tempore haberi nequit: verbi gratia si centum cados vini Gallicani optimi ante hos decem annos Titio cœnopolæ mutuatos is hac tempestate restituere debeat.

XXVI.

Illud itidem adhuc omittendum non est, aliquando & post sententiam crescere æstimationem, si forte à sententia perperam & sine causa provocatum, aut post lapsas quadrimestres illas inducias debitor moram commiserit: Mora enim semper nocet: ut supra.

XXVII.

Quæ supra §. 6. de obligationibus in diem contractis diximus, ea ad conditionales extensa atque ita ampliata volumus, ita ut si conditio contractui adnexa sit, res æstimetur quanti tum fuit cum conditio extitit. per l. 59. ff. de V. O. quam repræsentavi supra §. 4. num. 7. Cujus ampliationis ratio & limitatio iterum ex d. §. 6. & §. 7. supra satis elucet. Deinde & præfatum §. sextum ampliatum volo, etsi dies tantum tacite adjiciatur veluti cum quid certo loco promissum est: quæ obligatio licet pura videatur, habet tamen tempus tacite adjunctum intra quod possit ad eum locum perveniri quo solvi debet. §. loca etiam. l. de V. O. l. 60. ff. eod. l. 41. §. 1. eod.

XXVIII. Quod



XXVIII.

Quod in eodem §. 6. supra dixi, debitorem etiam antequam dies venerit invito creditore solvere posse, id ratione hac maxime nititur quod dies regulariter debitoris gratia adjiciatur l. 41. §. 1. in fin. ff. de V. O. cui juri utpote suo pro se introducto ipse debet renuntiare posse. l. pen. C. de pact. Estque hæc adeo communis Doctorum sententia, à qua novi equidem magni nominis etiam hoc sæculo Jctos recedere, puto tamen istam sententiam, communem scil., satis firmari l. omnis stipulatio. 2. l. de V. O. ibi: totus is dies arbitrio solventis tribui debet. Qui autem totius temporis alicujus arbitrium habet, is utique de unaquaque parte ejusdem arbitrari potest ad lubitum. l. 21. C. mand. Quamvis autem adducta statim verba, de die tantum in quem stipulatio facta, loquantur, eadem tamen ratio est & in cætero tempore quod diem istum ultimum antecedit, quod & innuunt verba ibidem præcedentia: at ne quidem. quæ cum ad præcedentia simul & sequentia respiciant, satis indicant utrobique eandem juris rationem & dispositionem obtinere.

XXIX.

Istud etiam video Nonnemini displicere, quod moram ante litem contestatam committi aut nocere posse, Communis Doctorum Schola docet, & nos supra §. 8. & alibi asseruimus. Ego, inquit, si de die nihil convenerit, nisi accepto judicio, creditori moram existimo debitoris & indevotionem inutilem: uti enim exploratum est, sine petitione non esse moram l. 127. ff. de V. O. l. 88. ff. de R. 7. ita etiam constat sine judicio petitionem non esse l. 15. & 23. ff. rem rat. haber. l. 32. ff. de procur. l. 57. ff. de solut. l. 36. ff. eod. l. 2. §. f. ff. pro emtor. l. 5. C. de contr. emt. &c. Quæ doctrina si vera est, magnum profecto sententiæ nostræ retro propositæ vulnus infligetur. Sed tamen nihil desperandum est. Salvus mihi caper & hædi. Respondeo enim, vocem petere multifariæ significationis esse, ac veluti non nego creberrime eadem voce denotari petitionem judicalem, ita insimul pulchre video, ad extrajudiciales etiam interpellationes eandem vocem pertinere. l. 48. ff. de V. O. l. 20. §. 1. ff. de petit. hered. nec dubito quin hoc etiam significatione capiatur in l. 88. ff. de R. 7. & l. 127. ff. de V. O. Quid?



quod & alia adhuc eidem vocabulo acceptio competat, de qua supra §. 3. 4. 12.

XXX.

Istud adhuc ad ea quæ supra de moræ effectibus memoravimus notari meretur, ea scilicet cessare cum mora purgata fuerit, quod vel 1. remissione alterius cuius interest fieri potest, vel 2. novatione interveniente, vel 3. etiam legitima debiti oblatione. l. 9. C. de usur. l. 72. §. 2. ff. de solut. l. 29. §. 1. l. 73. §. f. ff. de V. O. l. 8. pr. de novat. arg. l. 7. §. 1. ff. de lib. leg.

XXXI.

Sed hæc in usum illum quem *princ. supr.* indicavi, sufficient. Vinum siquidem modice utendum est. Cætera quæ sententiam meam vel confirmare vel labefactare videri possunt, in commodiorem temporis articulum differo: interim si quis aut illa aut etiam hæc scire desiderat, is adeat Glossam ad l. Vinum. ff. de reb. cred. Jacobum Cujacium tom. 2. p. m. 552. sive tr. 8. ad African. in explic. l. 37. ff. mand. Marcum Lyclam. spec. tract. ad l. 22. ff. si cert. pet. Joannem à Sande 3. 4. defin. 8. Georgium Adamum Struvium ff. exercit. 16. th. 37. Johannem Fridericum Bockelmannum comm. ff. de reb. credit. §. 12. Petrum de Greve ff. disput. ii. th. 7. Wolfgang. Adamum Lauterbach. comment. ff. theoret. practic. §. 35. Bernhardum Scotanum exam. jur. ff. de reb. credit. & ibi not. Joannem Brunnemannum ad l. 22. ff. de reb. cred. Henricum Zoesium ff. eod. num. 26. seqq. Anthonium Fabrum Cod. 4. tit. 2. defin. 7. 8. Everhardum Bronchorstium 2. assert. 19. Matthiam Berlichium 1. decis. 156. Johannem Jacobum Wissenbachium ff. vol. 1. disput. 24. th. 10. seqq. Ulricum Huberum prelect. ff. tit. de cond. tritic. Cornelium van Eck disputat. inaug. de septem damn. leg. capit. 1. Arnoldum Vinnium 1. quest. select. 39. Johannem Voet. ff. de cond. tritic. n. 2. Arnoldum Brand purgator. jur. veter. pag. 233. seqq. & pag. 244. seqq. Johannem Vaudum 1. var. quest. 41. n. 10. seqq. Reinhardum Bachovium ad Treutler. vol. 1. disput. 20. th. 13. Julium Pacium 3. antinom. 72. Johannem Volck. Beckmannum exor. π. exercit. 16. n. 33. seqq. quos omnes consului; quos vel ideo Lectori amico indicare volui, cum ut ipsi ansam suppeditem ulterius adhuc in Legis nostræ Vinum materiam, veritatemque nostræ hujus exercitationis inquirendi,



rendi, tum & ut videat, quatenus aliorum opera in enodatione legis nostræ *Vinum* usus sim. Etsi enim & varia in hactenus dictis sint, quæ ex mea solius penu depromsi, sunt tamen in iisdem & nonnulla alia quæ præeunte uno alterove præmemoratorum excellentissimorum Juris Sacerdotum in usus meos transtuli, quæ unicuique qui eorundem heroum ingeniosa monumenta locis laudatis inspicere non gravabitur, facillime in oculos incurrent: nolim enim me plagii istius quod audit literarii reum fieri, aut instar avis illius apud Poëtas alienis plumis furtim ornari. Ratio autem quod convenientibus locis ipsi sparsim huic dissertationi æternitati illa devota aut consentientia aut dissidentia nomina non inferuerim, ferme alterplex fuit, cum ne multiplici Doctorum allegatione pagina fastuose turgesceret, tum & ne videremur auctoritati Doctorum magis quam Legibus Legumve rationi inniti. Sane cum cordolio alias strenuo Juris Cultori animadvertere licet, sententias etsi verissimas eam unice ob causam, quod cum sententiis hujus illiusve celebris Jcti non concordent, sæpicule repudiari: nobis ex veteri verbo amicus semper erit Plato, amicus Aristoteles, sed amica tamen magis semper veritas. Sed & ex superioribus laudatissimis Autoribus offendet non unum qui sententiam pro parte nostram communi Doctorum calculo, praxique & tribunaliu usu, comprobata esse testabitur. Quid autem de sententiis Communis Doctorum sententiæ sentiam, expressit pro me nobile par Jctorum. vid. Tabor. tract. de alter. tant. usur. part. 3. artic. 13. §. 4. Carpzov. 1. decis. illustr. 33. n. 15. 16. 17. Interim nihil vetat sententias veteres, communes, practicas, argumentis subinde novis etiamque ex theorica petitis veritate illustrare, stabilire. Quod si tibi tamen explicatio nostra non placet, Lector, cogita & tuam displicere nobis posse.

Fecimus, quod temporis parvitas permisit, idque in materia in qua Inclutus Jctus hastam se abjicere fatetur.



COROL-



C O R O L L A R I A.

1. **E**Xceptio non numerata pecunia etiam in aliis Contractibus, quam in mutuo aut Chirographario, locum habet. Vid. Excell. D. Pagenstecher 3. aphor. Justin. 106. Dissentit Scotanus Exam. Jurid. ff. de Reb. Credit.
2. Donatio omnium bonorum non valet. Consentiunt DD. Comm. & mores. Dissentit Lauterbach, Struve, aliique.
3. Patrem dotem debere dare etiam filia locupleti, Communis Doctorum conclusio & sententia est (teste ipso dissentiente Carpzovio 2. 42. de fin. 13.) eandemque his diebus amplexi sunt inter Germanos Ampliss. Stryckius de cautelis contract. sect. 3. cap. 18. §. 13. Inter Belgas Nobiliss. Eckius ad ff. part. 2. pag. 85. eandemque & ego sequor & de jure Justiniano puto esse certissimam & verissimam: quicquid dissentiant Carpzovius, Struvius, Lauterbachius, aliique.
4. Uxor gravida in jus vocata recte se excusat obmovendo exceptionem ventris. l. 2. §. 4. ff. si quis caut. in jud. sist. caus. non obt. quem textum egregie contra violentas Cujacii (particulam: NON: inserentis) manus tuctur Excellentiss. Dn. Zauenschliffer. tr. de jure gravid. th. 4.
5. Vigore Auth. Habita. C. ne fil. pro patr. etiam Jurisdictio Criminalis tribuitur. Ubi lex non distinguit, nec nos debemus distinguere: praesertim in beneficiis Imperatoriis, quae, ut cum Seneca de vit. beat. §. 24. loquamur, ex pleno fluunt. Belle Excell. D. Zauenschliffer. sepiment. Academ. sect. 4. §. 4.
6. Actio Pauliana est in rem ex jure possessionis orta: contra DD. comm.
7. Principes Imperii Germanici Romani habent majestatem.
8. Contractus innominati, quem do ut des vocamus, species est 1. estimatorius, 2. permutatio, 3. alia. Ergo omnis permutatio est contractus do ut des, non autem contra. Nam quidam contractus do ut des non est permutatio. Ita DD. comm. Dissentiunt alii.
9. Heres raptoris non tenetur in solidum, sed quatenus ex raptu ad eum pervenit. Cl. D. Pagenstecher 4. aphor. Justin. 13. n. 3.
10. Nullas agnosco actiones dativas: contra Lauterb., Berger. aliosque.
11. In Codicillo ad testimonium admittimus foeminas: contra Vinnium aliosque.
12. Omne



12. *Omne Juramentum in litem est veritatis.*
13. *Ratihabitioni locus est in nuptiis. vid. Nobiliss. D. Preses Irner. Injur. Vapul. part. i. recept. §. 4.*
14. *Adulterium quoque est si uxoratus rem habeat cum soluta. Consentit Carpzov. Crimin. q. 52. Diff. DD. comm.*
15. *Contra Grammaticos: satis habet in Genitivo satis, & in omnibus casibus satis. Exquæstore est Dativus & Accusativus. Rete non tantum in Accusativo sed & retem dicimus. Bene ita loquimur: Hoc anno usi sumus Lauterbachium, proximo interpretabitur examen Schotani.*
16. *Actionem ratione injuriarum verbalium hodie competentem qua ad Palinodiam sive recantatoria (da man auff einen widerruff flaget) esse perpetuam ad triginta annos, statuo cum Lauterbachio. Eandem tamen actionem heredibus ejus qui affectus est injuria dari; Nego contra Lauterbachium.*
17. *Actionem Injuriarum propter Injurias reales competentem, regulariter anno inclusam esse, juris fundamenta solida deposcunt.*
18. *Christianus retorsione contra Injuriam recte uti potest. Imo aliquando debet.*
19. *Vocem Liberi in §. i. Inst. de obligat. quæ quasi ex delict. interpretari licet pro filio vel filia. Liberum enim recte voco, qui Germanis ein Kindt.*
20. *In Lege 99. ff. de solut. nihil emendandum censeo.*
21. *Matrimonium sive Nuptias inter quasi contractus colloco: contra DD. commun.*
22. *Legitimati succedunt in feuda si ante mortem patris jam legitimati erant idque absque vulgari illa distinctione per rescriptum legitimati sint Principis an per subsequens Matrimonium: contra DD. comm.*
23. *Belgæ Fœderati Majestatem absolutam & independentem habent, e: si eum titulum nec habeant nec affectent.*
24. *Usufructuarius habet dominium utile.*

F I N I S.

D

EPIGRAM.



EPIGRAMMA

*Ad Nobilissimum atque eruditionis studiorumque cultu, ingenii  
elegantia, morumque suavitate Florentissimum  
Virum Juvenem,*

DN. JOH. PETRUM VON ACHEN:  
L Y T A M:

DE ÆSTIMATIONE RERUM PER JUDICEM JUSTO  
TEMPORE LOCOQUE INEUNDA:  
Publice cum applausu disputantem.

**D**ulcis pars anima Pagenstecheri,  
ACHEN, lautitia mei caloris,  
ACHEN, delicia mei laboris,  
ACHEN, delictum juvena, & idem  
Cor certum Themidos, decus Minerva,  
Rerum dispicis æstimationem?  
Et quo tempore fiat hæc, locove?  
Hem! TE respice: γνώσι καὶ σεαυτόν:  
Omni temporis æstimate puncto,  
Æstimate loco perinde quovis.  
Rem sic integram habebis, ACHEN, in TE,  
ACHEN, Cor Themidos, decus Minerva,  
ACHEN, delictum juvena, & idem,  
ACHEN, lautitia mei caloris,  
ACHEN, delictia mei laboris,  
Dulcis pars anima Pagenstecheri.

Auditori, amico, atque fautori, nunc etiam Respondenti  
meo æstimatissimo super felicibus studiorum cis quadriennium  
ad manuuctionem meam strenue continuatorum  
progressibus, brevi hoc epigrammate, sed tamen ex ani-  
mo, adeoque ex veteri formula L. M. Q. gratulari volui

A. A. PAGENSTECHER.



*Nobilissimo Juveni,*

JOH. PETRO von ACHEN,  
LL. Cultori Politissimo & inge-  
nioso perscrutatori,

cum ad difficillimam *L. Vinum. 22. ff. de Reb. Cred.*  
industriæ suæ vires publice cum laude  
ostenderet.

**M**agnæ molis opus, Sacrum Volumen  
Juris volvere viribus beatis;  
Magnæ mentis opus, Cruces perite  
Legum tollere, perque tot mæandros  
Juris legitimum tenere cursum:  
Ast Te tam lepide eruditum Utroque,  
Pulcris auspiciis PAGENSTECHEI,  
[Quem Juris Dea PEGASUM salutat,]  
ACHENI, Themidos benigna cura,  
Monstras, Ingenium Laborque doctus  
Ut Te nobilitent per ora Famæ.

*Exiguum hoc non exigua benevolentia monu-  
mentum festina manu apposuit meritis,  
Nobilissimi Respondentis*

HENR. CHR. HENNIN,  
D. & P. P. & Ord. Phil.  
h. t. Decanus.

D 2

MERITIS-



MERITISSIMIS HONORIBUS

NOBILISSIMI

DN. RESPONDENTIS.

CUI Batavum annales licuit pervolvere, mirum  
 Ni stirpem ACKENIAM, a BUISSIACAMQUE sciat.  
 Ex illis *Genitorque Tibi, Genitrixque* dabantur,  
 Cum telam occœpit texere Parca tuam.  
 Respondet *Generi Genius*. Sacra pulpita testor,  
 Quæque facis docto verba diserta choro.  
*Materies gravis est.* b Nôrunt queis jura docentur,  
 Et gravibus certè convenit illa Viris.  
 Perge istam calcare viam *Patris* incluta *Proles*,  
 Et, quod *Te* jactet *Clivia*, semper erit.

a. Vide Commentar. *Emanuel. Meteran.* passim.

b. Alluditur & illud JC. πολυθρύλλητον: *Lex Vinum turbat  
 Prætoris ingenium.*

*Paucula hæc serius admonitus inter τῶν  
 φοιτῶντων strepitus l. m. q. amicitia  
 ergo subjecit*

H. CRUSIUS,  
 Scholar. Meurs. Rector.

Qui



**Q**ui te JOANNEM *Themidos* nutricis alumnus  
 Illius & carum Te putat esse decus:  
 Et qui PETRE Tuam hanc versa vice dicit alumnam,  
 Hic solidi pro se dogmata juris habet.  
 Nutricem venerare tuam, veneratur alumnos  
 Illa suos, inter quos, reor, unus ACHEN.

*His pauculis Dn. JOH. PET. ab ACHEN integerrimo amico suo benevole applaudit*

J. H. ELTZMAN.

**N**on satis est studio privato discere jura  
 Doctorum in libris sedulum & esse domi:  
 Insuper ast operas in lucem prodere prodest,  
 Ac artis specimen tradere rite suæ.  
 Inde tuum laudo conamen, themata juris  
 Dum cupis hæc placide discutienda dare,  
 Et merito pleno quoque jam *feliciter* ore  
 Acclamo & cœptis prospera fata precor.  
 Fac innotescat porrò Tua vivida Virtus  
 Pulchrisque instructum dotibus ingenium.  
 Vive, vale, mundo perge inclarescere, *Amice*:  
 Vive, sed ut possis vivere rite, Vale.

*Pauca hæc in Nobilissimi DN. RESPONDENTIS  
 honorem atque in sinceri animi testimonium ex Uni-  
 versitate Viadrina transmittere debuit*

WERN. JUST. PAGENSTECHER.  
 Duisburgo - Clivius.

D 3

ALIUD.



A L I U D.

QUàm bene conveniunt Tibi *Nomina terna!* Vocaris  
 JANUS; Et hic docti pectoris icon erat.  
 Qui sequitur titulus, rebus respondet iisdem,  
 Namque instar PETRÆ spicula missa capis.  
 Quid multis? Rem tangis ACU. Dignissimus ergo  
 Lauru es, nam pariter *nomen & omen* habes.

*Ita defuncta arundine canebat*

JOANNES FABRITIUS.

3  
 Als tapffre Duisburg steht vor freuden fast entückt!  
 Wann es die Söhne zehlt die seinem Schooß gebohren!  
 Die mancher Fürsten Staat zu Seulen schon erköhren!  
 An derer Geist und Trieb sich Ost und West erquickt.  
 Is läßt die Themis sich in Dir! Herz ACHEN, sehn!  
 Sie wil Dich Jhr/ und Du wilst Sie Dir höchst verbinden!  
 Sie wil bald deinem Fleiß des Ruhmes Kränze winden!  
 Die sollen mit dem Gold in gleicher Wage gehn.  
 Ich wünsche Glück dazu: Fahr fort Du tapffrer Streiter:  
 Dein Glück und Wahlspruch sey: Plus Ultra: Immer Weiter.

Seinen Hochgeschätzten Freunde den Herren  
 ACHEN setzet dieses zu billigen  
 Ehren

MATTHIAS HOBBELT,  
 LL. Stud. Vefalius.

SONNET.



OS (31) 50  
S O N N E Z Z

Was hilfft es endlich dan / daß man so immer sihet /  
Und bey dem Bücher-quarck die Nägel gang abnagt /  
Was hilfft Kalmeuserey? Offtmahls ein fauler sagt.  
Du anderst! Werther Freund: in dem dein Geist gleich blihet  
In steten Studien / daß dir dein Haupt beschwizet  
Auff edle Bücher hängt. Wie oft hab ich gefragt /  
Wie geht's! Herz ACHEN doch? ob Er gleich nimmer klagt /  
Ist Er doch immer bleich. Ob ihn die Liebe hizet?  
Ach nein! weg Liebe! weg: es mögt dan Liebe seyn  
Zu steten Studien / zu solchen solchen Sachen /  
Die die Gelehrtheit uns und Weißheit schencken ein.  
Ach mein! mein Freund! wie wird das Glücke dir noch lachen /  
Wann Du zum Ende komst: Fahr so / fahr immer fort:  
Es wartet Deiner schon der Lohn am Glückes-Port.

Dieses sehet seinem höchstgeschätzten Herrn  
Commilitoni dem Herrn ACHEN  
desselben dienstwilligster

CHRISTOPH: BERNH: GALEN,  
LL. Stud: Coesfeld: Monasteriens.

EXercens varios apis ingeniosa volatus  
Floribus expressum fingere nectar amat.  
Sic varios casus immenso è corpore legum  
Ceu totidem flores frater amande legis:  
Hic tuus hic labor est. Talem, precor, æqua laborem  
Præmia compensent, parque sequatur honor.

*Fratri Honoratissimo ex fraterno  
amore scripsit*

WERNER WILHELM von ACHEN,  
LL. St.



6 2 2 2 2 2 2

Handwritten text in a Gothic script, likely a Latin liturgical or scholarly text. The text is arranged in several lines and is somewhat faded and difficult to read.

CHRISTOPH. BERNH. GALT  
II. 2me. Coe. 1. 1. 1.

Handwritten text in a Gothic script, continuing the text from the previous block. It includes a large initial letter 'E' and several lines of text.

WERNER WILHELM von TACHEN  
II. 2e.

2. 2. 2. 2. 2.





Duisburg, Diss., 1661-99

(1)

ULB Halle

3

004 527 046




Sb

107









TINIANEA

1692, 3

303  
HFF  
20

U M

redit.

*De aestimave  
ratione temporis  
i, Excellentissimi et locifacien  
da.*

ARNOLDI  
HERI,  
is Ordin.

*lii, horis locoque  
da*

M von ACHEN,  
M. A. & R.



ENUM,  
Academ. Typogr.  
CII.